



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniae, 1709

Pars Tertia. Cogita Patrem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

in calum & coram te. Jam non sum dignus, imò tantò magis dignus amore tuo, quantò magis indignus, qui *venisti querere & saluum facere, quod perierat.* Et quid dicam? aut quâ ratione satisfaciam non jam tibi, sed vel mihi? Enim verò ruit, ruit in amplexus, in oscula pedum tuorum anima mea, famosa in urbe peccatrix, ruit immenso sui pudore suffusa; sed & immenso tui simul amore perfusa. Amat, & odit; ardet, & horret. Horret se, ardet te, inde diligens, unde dilecta; ibi reviviscens, ubi consépulta: triumphî nimirum imitatrix tui. Ascendit enim super occasum, & morte triumphat, ut tu, suâ.

PARS TERTIA.

COGITA PATREM.

Superest è tribus unum appendendum tibi. De Deo, de Domino dictum est: nunc vindicem hæreditatis æternæ *cogita Patrem.* Nam cùm in rebus humanis, ut Salviani verbis utar, *omnia spebus agantur*; nihil aut parùm admodum effectum est, nisi avarissimum sempérque sitientem hominis animum spe & abducamus à malo, & ducamus ad bonum.

Porrò octo sunt omnino, quæ sperare possis à Patre. 1. Vita justî bona & beata. 2.

Mors

Mors Sanctorum. 3. Favor extremi iudicii.
 4. Carnis gloria redivivæ. 5. Quies animæ
 cælo receptæ, & triumphus. 6. Tum beati-
 ficum lumen. 7. Inde amoris incendium &
 nuptiæ cum Deo. 8. Postrema æternitas non
 jam Dei, sed nostra. Quæ qualia sint, expli-
 care nos oportet.

§. I. *Vita bona.*

Vita iusti, totius ædificii fundamentum
 est & caput: tot insignis triumphis, quot pe-
 nè momentis. Cùm enim nulla sit victoria
 major quàm sui ipsius; aliunde cùm habeat
 semper unde se vincat animo vel corpore,
 hinc fit, ut homo iustus ex tanto triumphet,
 ex quanto vivit, manubiis omni momento
 imperatoriis. Audi Apostolum: (2. Cor. 4.)
*Momentaneum & leve tribulationis nostræ,
 supra modum in sublimitate æternæ gloriæ
 pondus operatur in nobis.* Pondera hoc pon-
 dus, cui ex unâ parte addicitur immensitas,
 ex alterâ æternitas; utraque gloriæ, utraque
 momento parta, & in nobis. Cor aurifodi-
 na est, aurum Deus, officina leve & mo-
 mentum.

Quæris, unde? respondeo, ex eo, quòd sis
 filius Dei; quòd agaris spiritu eius inhabi-
 tante in nobis; per quem & vivis & vincis.

Ab

Ab illo enim habes ut vincas, à quo habes ut vivas. Ergò victoria tua, victoria Dei est, qui triumphat te in te. Ergò immenso, aeterno, Deo denique digna. Ut enim victoria Regis, digna regno est: ita Dei, Deo. Id in Christo vides, cuius meritum sic increvit ex dignitate personæ, nihil ut esset in eo non immensum. Quid ita? quia filius Dei, En meriti fons, en origo. Atqui tu quoque Dei filius & nominaris, & verè es. Ergò & merito suppar, & cohares. Hinc vulneratur cor sponsi *in uno oculorum, & in uno crine*, hoc est, in illo levi & momentaneo Apostoli. Hinc *folium eius non defluet*, id est, ut jam explicui, etiam verbum, etiam votum ac desiderium. Ut exemplo patet gnavi latronis, qui totam verbo uno prædatus est æternitatem. Jam si in verbo tantum lucri; quid in officio? Si tale momentum est; quid hora? dies? mensis & annus? Quid totius vitæ *mensura bona, meritis conferta, coagitata, & supereffluens, quam dabunt in sinum?* crescere enim merces, distribuique juxta merita debet. Ubi par igitur usura non centesimæ, non in centuplum; sed in immensum inque æternum trajectitio, ut ait Augustinus, apud Deum fœnore quotidie excrecens? *Da mi-*

cam

cam, inquit Chrysologus, & *accipe calum*. Denique *toties coronaberis, quoties restiteris*, (Bernardus.) novo in dies incremento & patrimonii, & coronæ. Ut enim hæreditas filio, ita certanti corona debetur; non una, sed, ut pancratiastræ, multiplex: prout enim *quisque seminaverit, hæc & metet*. Talis est vita iusti: quâ, ut vides, ditius, opimius, beatius sub cælo nihil. Theatrum ille sibi, perennisque & felicitas & triumphus: palma, quæ non solum annos, sed & momenta victoriis notat.

Compara jam virum viro, vitam vitæ, dico malam bonæ: illam, ubi *infelix lolium, & steriles dominantur avena*; huic, segete plenæ aureâ, ubi *later Aegyptius caelestem mutatur in saphirum*. [Lyranus.] Illam, perenni falo jactatam, quæ tota naufragium sit; huic, in portu quietæ, ubi *serenum semper*. (Seneca.) Illam, perditissimam, & ut ita dicam, *occisissimam*; (Chrysof.) huic, arti omnium quæstuosissimæ. Quod si spe ducimur atque commodo nostro, nonne exclamare nobis hîc licet: Adam, ubi es? ubi cupiditas, inquam, illa, quæ te ambitûs reum fecit? væ, væ tibi, mercatrix ærumnosissima, quò curris, quò non curris, ut ditescas? en, in manibus

bi s medióque tui nobilissimum totius orbis emporium : forum es ipsa tibi; & quid dico forum? cùm regnum intra te sit, & regnum cælorum, quod tanti valet quanti tu, Misera! credis hoc? si non credis, cui credis? si credis, cui operam locas? mundo an Deo? mundo qui se perdit & te? Deo qui te servat & se? te sibi, se tibi? Hic, híc sere, cælum ara, Deum ama, quo solo dives es.

§. 2. *Mors pretiosa.*

Vitam bonam sequitur mors in Domino longè pretiosior. Ibi enim præluitur æternitati : híc concluditur. Quare Christiani non prima, sed tota philosophia est, cujus ab uno momento pendet æternitas. Ac cetera quidem utcunque restitui possunt, hoc unum ineluctabile est. Quid quòd & transitus animæ gravis, & gravior pugna? instant enim hostes, incumbuntque migranti. Urget aliunde conscia tot criminum mens, incertaque futuri. Citatur ad tribunal rea; nec comperendinatui locus datur. O quale tempus, cùm tempus non erit amplius!

In illo discrimine rerum atque certamine tanto quis aderit tibi? quis aget causam? à quo demum auxilia speras? audi à quo. *Si ambulavero in medio umbrae mortis, non ti-*

me?

mebo mala. Quæ tantæ causa fortitudinis?
 quoniam tu mecum es. Ille, ille qui via vitæ
 est, VIATICUM est & mortis, naulum trans-
 fretantis, scutum decertantis. *Dabis eis, in-*
quit, SCUTUM CORDIS laborem tuum. (Thren.
 3.) Hinc quies, hinc in morte securitas, hinc
 & voluptas. Nam quod aliud votum nostrum
 est quàm exire de sæculo. & recipi apud Domi-
 num? Hæc voluptas, ubi & votum. (Tertul.)
Pæna vitiorum transit in arma virtutum.
 [August.] Ibi non gemes; sed universis circa
 plorantibus, solus ipse ridebis, conscientia uti-
 que bonâ & premiis futurorum. [Hieronym.]
 addo, & pretiis præteritorum. Nam si tabel-
 la vetulæ à Zeuxide depictæ, tantum pla-
 cuit auctori, ut præ voluptate moreretur;
 qualis erit morientis oculis imago vitæ be-
 ne actæ, cuius recordatione, ut ait Tullius,
 nihil est jucundius? erit, erit tum enim ve-
 rò, si aliàs unquam, *theatrum sibi vir bonus.*
 (Seneca.) Aderit è cælo Christus; aderit &
 optima Mater, & Angeli, & Patroni. Ibi:
Nunc dimittis servum tuum, Domine, secun-
dum verbum tuum in pace! Ibi: *Latatus sum*
in his, quæ dicta sunt mihi; in domum Domini
ibimus! Ibi: *Me expectant justi, donec retribu-*
as mihi! O triumphum! ô gloriam emigran-
 tis

tis! lætâ illîc omnia: & memoria præteriti,
& spes futuri, & præsentis conscientiæ tota
ac plena securitas.

Compara, compara non jam vitam vitæ;
sed mortem morti, Quales illi de sæculo?
qualis tu? qualis anima tua de deserto, de-
liciis affluens, innixa super dilectum? O si
perpenderes! ô si provideres! Oro te: propo-
ne animo tantisper [erit enim aliquando] su-
premam illam animæ tuæ tuæ crisi; ludan-
tes artus, luctantem æstuantemque spiri-
tum, & jam in extremis positum, ardente
candelâ. Nam in hoc summo non dico tem-
poris, sed æternitatis cardine, cujus esse vel
fuisse tum voles? mundi an Christi? mira
tua prudentia, si nunc facis aut non facis,
quod tunc factum infectumque dolebis, aut
fortasse speras ex malâ vitâ bonam mortem,
hoc est, *ex falso verum*. Sophisma est. Nun-
quam ita concluditur in bonâ formâ. Vive
ut vis mori. Nam ex præmissis sequitur con-
clusio. Porro de æternitate agitur hoc mo-
mento. Quod inculco, quod impingo, quod
infarcio usque & usque legenti; ÆTERNI-
TAS, inquam, *ibi incipit ubi sæculum desinit.*

§. 3. *Judicii favor.*

A conclavi feror ad orchestram, ad Impe-
rato-

ratoris podium, ad totius caveæ, ut cum Patribus loquar, immensum illum supremumque confessum. Heu quæ tunc spectaculi magnitudo! Hic, hic dati leonibus non jam martyres, sed tyranni: hic, hic ludi sæculares non de sæculo, sed de Deo; nec hujus vitæ, sed æternæ; nec in circulo temporis, sed in circo æternitatis. Tria tibi perpendenda: iudex, reus, & causa. Iudicis severitas tanta, ut in Angelis etiam suis *reperiat pravitatem*. Tu ex ungue collige leonem. dico è pœnâ Moysis, Davidis, Ezechiaë, Viri Dei, Bethsamaritarum, ob noxas hominum iudicio levissimas; sed non Dei. *Dies, inquit, formabuntur, & nemo in eis.* Quid dicis nemo? imò omnes ibi stabunt. *Nemo in eis*, hoc est, nemo innocens, nemo mundus, ne infans quidem unius diei. Quid ita? *quoniam Deus iudex est. Non quilibet rusticus cum tridente, sed Trinitas iudex.* (Augustinus.) De reo autem quid dicam, qui totus à capite ad calcem ulcus sit, debitor *decem millium talentorum, non respondens unum pro mille*; prædo, ut jam monui, cæli & terræ; & ille nudus coram Angelis Dei. Hoc pondera, hoc expende. Postremò causa non de stillicidio, neque de umbrâ asini, sed de capite, quo? tius

tius mundi. Cur? ob vitam, ob supplicium. Qualem? quale? æternam, æternum. *Ibunt hi, inquit, in vitam æternam; illi verò in supplicium æternum.* Tali igitur & iudice, & reo, & causâ, miseros stupor immensus invadet, animi deliquium, æstus, & pavor. *Arescentibus*, inquit, *hominibus præ timore.* Nam si versa est uxor Loth in statuam horrore flagrantis Sodomæ, quæ *stilla.* (*Isa. 40.*) tantùm erat *Et fumarium inferni, Et jaculum exercitorium;* (*Tertull.*) quâ, putas, consternatione futuros, cùm ARMIS, ut ita dicam, agetur DECRETORIIS? Denique dies illa, dies iræ.

Nihilominus in die illâ tam horrendâ stabo animi securus, habens pro iudice amicum, pro rege patrem, pro vindice agnum. *Stabunt*, inquit, *justi in magnâ constantiâ.* Nec securus modò, sed etiam ego ille toties à te irrisus atque contemptus, tutum atque mundi iudex. *Sedebitis*, inquit, *vos judicantes.* Quis loquitur? Iudex iudicum, & Rex regum. Ipse, ipse promittit, & est veritas.

Ergò videre videor hominem illum in nubibus Deum, qualis est apud Joannem, gemino vultu radiantem, altero *Sardium*

res

reprobis, altero fassidem electis. (Rupertus.)

Audio vocem ejus geminam quoque: amicam & minacem, blandientem & fulminantem. Specto cuneos hinc inde pro utriusque sententiæ varietate variè perculsos; alios de cælo præcipites, alios in astra quasi quodam amphitheatri pegmate sublatos: utrosque vociferantes. Ubite vidimus? ad hæc clamare judicem, *in carcere, in stabulo, in mapali*. Membra pupilli, vita popelli, causa viduæ egentis, oppressæ, foro conclamatae, membra, vita, causa mea erat. Ille, ille Lazarus jacens ad fores & meus erat, & ego ille. Quid deinde? vos pavistis, vos operuistis, vos visitastis. *Quod uni ex minimis fecistis, mihi factum imputo. Esto. Quid postea? Euge, Cui dicis? Tibi. Quia in modico fuisti fidelis. In quo modico? in micâ pauperi dandâ; in calice aquæ frigidæ. Et pro tantillo quid reddes? intra in gaudium. In quale gaudium? Domini tui. Felicitas inter nos erit communis, mea tua, tua mea. Idem gaudium. Quid? pro micâ cælum? pro guttâ flumen? dedisti quod jussi, do quod promisi. Dedisti te mihi, do me tibi. Versura justa est. Proh Superi! quid loquimur? & hæc est fides, spes, charitas Christi? hoc tu credis? & cui tamen animum*

mum loces, alium à Christo quæris? quære,
 quære, dum licet, & ut libet; ego jam pridem
 vovi, nec perfidum dixi sacramentum. *Ille
 meos, primus qui me sibi junxit, amores ab-
 stulit: ille habeat secum, servetque non sepul-
 chro, sed in cælo, ubi cor, ubi corona.* Tu
 peccator & videbis, & dolebis. Dentibus
 tuis fremes & tabesces, dicésque: Hiccine est?
 de iudice stupor erit, & de iudicio. Ego ve-
 rò te inter hœdos addictum Libitinæ caput,
 heu! nequicquam incendia deprecantem
 usque & usque meo jam jure ridebo: tu pœ-
 nitentiam ages infelix malam, seram, impor-
 tunam; ego in sanguine peccatoris lavabo
 manus meas. *Desiderium enim peccatorum
 peribit.* At at confido meliora. Ambo ride-
 bimus. Ambo coronabimur, rapiemurque
 cum illo in aëra. Et erit inter nos hoc so-
 lenne celestina, vicimus. Quale de Thebæis
 referunt annales reciproco sibi cantu invi-
 cem respondentibus è tumulis, hinc *exulta-
 bunt Sancti in gloriâ; illinc letabuntur in cu-
 bilibus suis.* O canticum!

§. 4. *Gloria corporis.*

Sed jam ad convivium *ire tempus est, ad
 nuptias, ad triumphum, uti spero, tuum meo-
 umque.* Hic mihi primùm occurrit vestis
 illa

illa nuptialis ; dico caro nostra, prætextatum animæ , & consularis veluti trabea, quadruplici gloriæ dote, ut docet Apostolus, instructa. In quâ non secus ac in aureo curru triumphali que quadrigâ cælo sui mundique victor animus invehitur. Tertulliano *gloria luti nostri & venustas*. Nunc enim vas est ignominie , corpus humilitatis & mortis; tunc autem erit vas in honorem, nulli vitio mendove corporis obnoxium. Hoc locus , hoc curia tanti Principis, hoc cura anor que nostri , hoc ejus corpus in nostro corpore quasi quoddam gloriæ semen toties insitum ac implantatum , hoc postremo postulat exigique mereri ratio atque societas. Nam quia corpus animæ collega fuit, & ut in certamine scutum; gloriæ oportet ut particeps sit, sicut & ignominie fuit. Dictum est enim: *Si compatimur, & conglorificabimur*. Sed hanc ego corporis gloriam atque felicitatem unde exprimam tibi?

Finge animo formam omnium, quæ extiterint unquam, absolutissimam. habeat caput Veneris Gnidie , labra Roxanes, lacteam Amazonis cervicem , oculos Minervæ, totumque ab Apelle corpus: sit, ut Vir-

E

gi-

gillii tui Camilla , pedibus perniciosissima, & quæque Zephyros cursu : sit, ut Achilles Homeri, immortalitatis balneo tincta, & in super oleo Phidiæ delibuta : nusquam pateat vulneri locus, ne summo quidem talo præterea deliciis undique circumfluat, irrigeturque, ut est apud Prophetam, *torrens spinarum, & per omnes rivis fluant aqua.* Denique qualis illa PANDORA vatium, *idea pulchri*; aut qualis illa Græcorum pulcherrima simul & optima, *aureo donata malo*, vincit hæc omnia, immensoque præit intervallo caro nostra, SOROR CHRISTI, jam reformata, & ut Africani stylo loquar, ANGELIFICATA; imò non Angelo tantum, sed ipsi etiam Christo par atque conformis. Pater! exclamat Chrysostomus, illine qui sedes ad dexteram Patris? Illi, inquam; & addit plus esse in uno corpore splendoris, (quod jam tetigi) quam si tot essent in mundo soles, quot sidera cælo. Denique Apostolus ait, id nunc à nobis non posse comprehendere.

Age mecum ita ratiocinare: *Nemo carnem suam odio habuit.* Effatum est. Quò enim studia, quò vergunt omnium vota, etiam Epicureorum, nisi ut illi bene beatæque sint?

Hic

Hic scopus finisque curarum. Jam compara corpus corpori. Quale nunc hoc animæ sepulchrum? (*σῶμα* Platoni quasi *σῆμα*.) Quale tunc illud animæ mausolæum? surget enim in gloriâ, agile, subtile, spirituale, gloriosum. Quid ergo? si tuæ carnis verus est amor; unde boni tantum invides amatae? rursus hîc ad tuam appello fidem. De resurrectione dubitas? non potes, si modò Christianus es: *nam omnis fiducia Christianorum, est resurrectio mortuorum.* (*Augustinus.*) *Resposita est*, inquit Jobus, *hac spes mea in sinu meo.* Rata est igitur, & certa. Responde nunc: si ut diù vivas, tanta moliris; quid ut semper? quid ut beatè? quid ut gloriosè? Quid dicis? amas an odis? si amas; cur immortalem, cur auream, cur Angelis Christoque parem, cur undique beatam non vis? si odis; cur animæ præfers & Christo, qui te & illam sic amavit ut in cælum, peccatricem licèt ac planè contaminatam, ad se transferret? ô simia, quæ fœtum osculando præfocas! alterum è duobus opta. Ama vel odi: si amas, ama ut ames; si odis, odi ut salves.

§. 5. *Cælum Empyreum.*

Curram animæ vidimus igneum ac planè triumphalem; nunc ejusdem triumphantis do sedem, igneam illam quoque, & quam vocant EMPYREAM, *cælum cali*: de quo duo tibi propono, magnitudinem loci, deinde opes atque gloriam. Ac locus quidem verè immensus est, & finem non habet, ut est apud Prophetam. Audi me. Tota terra punctum est ad cælum: nam eâ vel hujus una stella sexaginta partibus major est, ut astronomis placet. Jam si terra punctum est ad cælum; quid erit ad cælum cæli, à quo cælum hoc, quod suspicis, tantùm distat, quantum ipsum à terrâ? & si terra tota minor est puncto; quid erit punctum puncti ad cælum cæli? Quot enim in regna, provincias, urbes, oppida, recta dividitur indivisibile? Quota denique pars es ejus tu sub uno tuguriolo non unus, ceu miser de sub terrâ lumbricus; aut qualis ille Tertulliani Chamæleo, *sub pampino totus*? Hic omnis avaritiæ furor, hæc negotiatio, hæc versura, quam, ô stultissime mercator, instituendam putas *propter pugillum hordei & fragmen panis.* (Ezechiel. 13.)

Per:

Perge porrò. Si magnitudo tanta, quid de opibus gloriæque dicendum? Neque enim inimicis plura putandum est esse in hoc carcere derelicta, quàm amicis in palatio filiis-que servata. *Solummodo ibi magnificus est Dominus noster: locus fluviorum, rivi latissimi & patentes.* (Isaia 33.) Propterea dixit Apostolus eam esse civitatem, cujus est artifex & conditor Deus. Quid? non est hujus artifex mundi? non est conditor? est, est, est omnino. Sed hoc quasi præludium est, illud totius operis caput. Denique illa est seu paradus, seu civitas monstrata Joanni, cujus & portæ margaritis, & fundamenta saphyris, & pavimentum auro mundissimo stratum est. quæ flumine scatens aureo, ripis hinc inde palmâ virentibus, habet tot inter sceptrâ reges, quot intra septa cives, ubi nemo non amat, nemo non amatur; *omnes currunt, & amor cursus est.* (Augustin.) Hæc patria, hoc patrimonium quod servat Pater, quod regit Agnus, Ille enim claritas ejus, & totum lumen, & totum à pede flumen. Sanguis ejus stolas dealbat, non cruentat. Illum sequuntur virgines, quocumque iërit, inter lilia rosasque pascentem; *nam floribus ejus nec rosa, nec lilia desunt.* (Beda.)

Compara nunc mundum, mundo. qualis hæc Babylon, ubi flemus? qualis illa Hierusalem, *quæ edificatur ut civitas, cuius participatio ejus in idipsum?* ô patria! cæli domus! & tu, ô anima mea, carcerem exiliûmque præfers? sed esto, utcumque terram ambias præ cælo, punctumque puncti præ immenso; etiãne præ Deo, qui terram dedit, & cælum parat? infelix! ut ille dives, guttam amas in inferno, cui torrens voluptatis ruit è cælo? Eheulquantâ jacturâ, & pro quantum? nã si totus orbis, inquit Chryso-
 stomus, in lacrymas iret; id haud unquam pro merito fieri posset. Erit, erit quando super flumina fleas non jam Babylonis, nec in medio terræ; sed in medio gehennæ inter *glareas Cocyti*, (*Job. 31.*) triste illud ac ferale occinens: *Nos insensati*. Sed absit, absit inauspicata conjectura. Corrigo dictum. Erit, erit, quando inter amœna virentia byssino vestita candido & mundo, Agnûmque sponsa sequens, exclames, ut in epithalamio: *Gaudeamus & exultemus; quia venerunt nuptia Agni.*

§. 6. *Visio Dei.*

Summa sunt hæc, fateor; at collata Deo non

lis
u-
ri-
is!
ue
ias
n-
, &
im
nit
na
o-
ro
er
e-
a-
c-
u-
it,
no
ni
o:
nt

o
n

non adjumenta felicitatis, non ornamenta sponsæ, sed impedimenta videbuntur. En spectaculum do novum, do antiquum, do æternum: ipsum nempe Deum, quo simul uno possidentur universa. Est enim *summum bonum; est omne bonum; est bonum omnis boni*. Cape ista, si potes; & si non potes, crede. Non enim ideo fides credit quia capit, sed ideo capit, quia credit. *Magnus est Deus*, inquit Dionysius; *sed suâ magnitudine omnem transilit infinitatem*: neque singulari ac quodam definito, ut cetera, modo est; *sed est simpliciter*, & ut loquitur, *incircumscriptivè*. Nec bonum, sed *bonitas ipsa*, unde dictum est: *Sentite de Domino in bonitate*, non in bono. *Tolle hoc*, addit Augustinus, *tolle illud. Et vide ipsum bonum si potes. Et sic videbis Deum*. Audi quid nunc dicam. Ecce Deus tuus omnia cum possit vel solo nutu; constat hoc instanti posse tot procreare mundos, quot in littore sunt grana, illo uno, quem habemus, infinitis partibus & majores, & pulchriores. Fac tamen nihil posse; adhuc tantus erit in seipso, quantus erat in tot mundis. Quid ita? quia se solo dives, se solo summus, se solo infinitus: *quod enim est per essentiam tale*, (verba sunt D.

Thomæ) *non fit majus addendo illi aliquid, quod est per participationem tale.* Ipse, ipse sufficit sibi: *nec fons sitit, nec panis esurit, nec sol indiget luce, nec requies ipsa lassescit;* ut aureè vir aureus. (*Chrysologus.*) Præterea non est summum duntaxat bonum; sed etiam omne bonum, *omnium*, ut Athanasius loquitur, *essentiarum*, hoc est, *naturarum substantialis causa.* Unde Theologus Nazianzenus: *Tu omnia, tu nihil rerum. Quem ego te appellem; cum ineffabilis sis & omnino minus?* Postremò est bonum omnis boni. Ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia. *Utrumquodque*, inquit S. Thomas, *dicitur bonum bonitate divinâ, sicut primo principio effectivo, exemplari, & finali totius bonitatis.* Denique quid dici potest ampliùs? solâ sui visione beatos facit. *Satiabor*, inquit, *cum apparuerit gloria tua.* Vide quid dicat. *Satiabor.* Alio loco dixit: *In quem desiderant Angeli prospicere.* Ecce satiantur simul & desiderant. Quod ut aliquâ ratione utcunque subodorêre; constitue beatas illas in cælo mentes, velut in quodam æternæ vitæ theatro, circumfusas undique Deo, semper avidas, sempérque plenas. Ibi relecto, ut Tertullianus loquitur, æternitatis aulæo, magnum

num illud immensumque proscenium aperiri, emergere Deum, atque, ut ita dicam, in scenam dari, & cum illo causas rerum, origines, tempora, suggestus, vices, uno verbo omnia; novos etiam subinde & in singula momenta mundos exoriri, semperque pulchriores; exardescere interim ac suspensas animis, plenoque ore hiantes rapi, colliquefcere, incandescere, ac quodammodo igniri Deo. Ibi mirabiles fieri applausus non manuum, sed mentium, sed animorum. Ibi saginari, potari, inebriari torrente voluptatis in pace in idipsum. O in pace! ô in idipsum! Væ, væ mihi quia pollutus labiis etiam cum loquor, non loquor, & quæ dico, non dico! Si enim enarrari non potest gloria corporis; quanto minus animæ? *Quid mihi est in celo, aut à te quid volui?* Quid est, quid? inquit Augustinus, interrogans dixit, quia respondens non potuit. Et Apostolus, *Scio*, inquit, *hominem raptum huiusmodi usque ad tertium calum*. Bene habet. Occultum testem habemus. Age quid ibi vidisti? enarra tandem. inenarrabilia, ait, & quæ nec oculus, nec auris, nec cor capit.

O vitæ flumen æternæ, quod acquiri potest, æstimari non potest! *ubi nec fastidium*

E s

erit

erit, nec fames. Quid dicam nescio; sed Deus habet quid exhibeat, non invenientibus quomodo dicant. Hæc est enim illa mensura, quæ est sine mensurâ. Quod expectamus à Deo, non est nisi Deus. O regnum beatitudinis æterna, ubi juventus nunquam senescit, ubi decor nunquam pallescit, ubi amor nunquam tepescit, ubi sanitas nunquam marcescit, ubi gaudium nunquam decrescit, ubi vita terminum nescit! Tanquam latantium. (Augustinus, & Bernardus.) Quid est tanquam? quare tanquam? quia talis erit tibi jucunditas, qualem hîc non novimus. O spectaculum non jam mundi, neque de mundo; sed Dei, de-que Deo! Ut enim hîc spectaculum facti sumus, sic ille nobis vicissim in cælo. Ene-rit unquam illa felix hora, nec jam brevis mora, quâ te fruar, Deus meus, in immensum, in æternum, in idipsum! O sancta Sion! cujus recordando super flumina sedimus & flevimus, spe læti, re tristes.

§. 7. *Amor beatificus.*

Est tamen, est adhuc unum, sine quo cetera sint nihil; osculum nuptiale & recipro-cus amor inter ambos, dico sponsum atque spon-

sponsam. Hæc est totius beatitudinis finis. Hic apex. Quippe animæ centrum Deus est, cui jam inde à primis incunabulis volens nolens usque suspirat; in quod unum tanto ambitu, totóque pectore incumbit, tam diù dilata, toties impedita. Ergò ubi post tot exantlatos labores, tótque pericula, tótque mortes, invenitur quem unicè diligit; ubi possidetur; ejus suique secura; nimirum hoc illud est voluptatis immensæ pelagus, quod ne animo quidem ac cognitione comprehendipotest. Addo summam infinitamque sponsi Dei pulchritudinem, quâ sic inardescit magis ac magis, ut quò plus videt, plus deperire cogatur. Non enim, ut in rebus creatis, suos habet illa pulchritudo nævos, suosque fines; sed incircumscripta sempérque spectanti crescens, infinito quodam pondere rapit amantem. Hinc anima tota Deo cohærens, immersa, ac velut æternis quibusdam vinculis illigata, tanto fertur amoris impetu, ut præ divortii vel unico momento nihil innumerabiles inferos putet. Hinc etiam ecstases, suspiria, raptus, animi deliquia, jugisque languor: & quia se scit æquè, imò infinito plus à Deo redamari; hinc æstus amoris, altero in alterum ex-

ultante & quodammodo sese reciprocante, & utroque alternis clamante : *Dilectus meus mihi, & ego illi!* Præterea quoniam ipsa novit à ceteris cæli civibus non minùs quàm à se tam amabilem sponsum arderi; hinc fusus in omnes amor, hinc æternum æternæ domûs incendium. Ardent omnes, ardent ubique & semper, pro Deo, próque se invicem.

Propone tibi ob oculos stadium quoddam immensum, in quo decurrat amor triumphalibus quadrigis, cui cælestes ephebi aureis præludant in equis pronubi sponsæ, tædæque conjugales antistites. succedant his amici sponsi, dico Apostoli, Martyres, & Prophetæ, suo quique ordine, omnes in auro, omnes coronâ palmisque insignes, postremo loco veniat aureo super pheretro sponsa regios inter amplexus amore tabescens, universis circumquaque applaudentibus, &, ut in nuptiis, rosâ coronantibus & fertis. Hæc cæli vita, hic cursus, hic finis.

§. 8. *Æternitas nostra.*

Sed sinè fine finis. Illa enim omnia quæ dixi, quodam æternitatis veluti sigillo mun-

ni-

niuntur. Quæ quidem æternitas quinque partibus constat. Prima est, quòd in eâ nihil non sit infinitum. Nam cùm infinito tempore duret, tótque proinde habeat, ut ostendimus, incrementa vitæ, quot momenta: fit, ut quicquid in eâ est, infinitâ sui quasi reproductione crescat in immensum. Secunda est, quòd tota sit simul & perfecta possessio. Nihil enim præterit in Deo; nihil succedit. *Dies cali*, inquit Ambrosius, *semper presentes sunt. Nemo ibi expectat futurum; nemo perdit præteritum.* Denique felicitas ibi torrens est, non, ut hîc, gutta. Tertia est, quòd nunquam intermittitur. Duo enim hæc sunt simul, *Perpetua & Felicitas*; quorum alterum sinè altero nihil est. Quarta est, quòd in omnes sese tum animæ, tum corporis facultates effundat. Non enim, ut hîc, sese mutuò impediunt sensibus pluribus intenti; sed è contrario, ex anima redundat etiam corporis beatitudo. Quinta est, quòd obversetur ob oculos semper. *Evigilabunt enim alii in vitam æternam, & alii in opprobrium; ut videant semper.* (*Daniel. 2.*) Quid? tò semper. Hoc ultimum summum est, & verè beatos facit.

Porro talis æternitas sic instructa, sic co-

gitata, tanti ponderis est, ut totum in sese
 animum mentemque absorbeat. Hinc illa
 sapientium axiomata: *Annos aternos in men-
 te habui. Quid ad aternitatem? Nihil mag-
 num est, quod finem habet. Sapienti nunquam
 ista temporalia placuerunt. Aternum bene,
 aternum male.* Et plura consimilia.

Et revera si, ut justum est, expenderis, in
 stuporem identidem rapient te. Quid enim?
 summum bonum possidetur tota securita-
 te, & totum, & totum simul, non auferen-
 dum unquam, non intermittendum, non
 conscribendum. Potest dicere beatus: Mihi
 bene est, aternumque erit. Habeo supra vo-
 ta, idque securus. Enim vero quid habes si-
 mile? quid vicinum? ubi sunt? non dico ubi
 erunt? sed ubi sunt deliciae tuae, etiam quibus
 & quando frui te putas? nonne occidunt an-
 te etiam, quam sint, plenae praeteriti atque
 futuri, vacuae praesentis? nihil enim stat. De-
 inde quales sunt, quamque putidae? quam-
 que putidae? quid tibi servat mundus post
 mortem? quid in morte? quid ante mortem?

§. 9. *Summa tertiae Partis.*

Ecce a Deo habes omnia, ut audisti, &
 vi-

vitam meritis plenam, & mortem optatissimam, & quæ sequuntur ad utramque, carnis tuæ gloriam, animæ triumphum, sedem, quietem, beatitudinem omni ex parte tum animi tum corporis; & hæc omnia summa, immensa, æterna, qualia Deus habet, sinè metu, sinè vicissitudine, sinè divisione, totâ, ut dixi, securitate. Jam hîc ego te convenio, totâque contentione tecum pugno. Spes alit, inquis: *spe geruntur inter homines omnia.* (*Salvian.*) Bene habet. Hic est amor tuus & tui. Agedum. Ubi par à Deo spes? ubi fors? ubi patrimonium? ubi merces? ubi corona certantibus æqualis? in Olympiis, an in Isthmiis? Capitolione an Prytaneo? quid tibi datur? frons *pro quâ ne capella quidem pedem moveat.* (*Chrysost.*) O fides! & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, ab omnibus se abstinere: tu Christianus, tu candidatus æternitatis, ut incorruptibilem obtineas, ut immensam, qualémque dixi, imò qualem nec dixi, nec dicere potui; saltem ab illicitis non temperabis: invenientur apud Platonem Olympici virgines, & multis illi ut pugiles sint, ut athletæ? tu ut Christo mereas, ut cælo, ut tantæ felicitati; castitatem, quam sacramento aut etiam religio-

ne

ne vovisti, non integram servabis? at con-
clude ut voles: ego verò concludam vel te
planè atheum, vel te, si ista credis, ut credis,
planè Dei.

PARS QUARTA:

Conclusio secundi libri.

SEd jam receptui canendum.

Erexi monumentum, uti cum gratiâ
Dei spero, *are perennius*. Sculpsi, inquam, in
tabulis carnalibus aureum aureo caracte-
re AMOREM. Traxite in funiculis Adæ tri-
bus; & scis funiculum triplicem difficilè
rumpi. Nam cum omnia bona jucundo ser-
viant, honesto, vel utili; suavitas amici in
Deo summa est, ut vidisti; honestas amicitix
in *Domino* immensa, officiorum ratio at-
que utilitas in *Patre* infinita.

Nunc, ut aliquando cum Augustino per-
orem; rogo te, si aliqua *statera æquitatis* inve-
nitur in arcâ cordis tui, appende. Quid ap-
pende? Deum, mundum. Deum, quo pul-
chrius, nobilius, potentius, sapientius, æqui-
us, amantius tui, amabiliusque tibi nihil:
mundum, quo nihil ex adverso fœdus, vi-